

fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto. — J. T. —

Aloisius Card. Traglia
S.R.E. Cancellarius

Carolus Card. Confalonieri
S. Congr. pro Episcopis
Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

† Josephus Rossi, Epis. Palmyren.
Proton. Apost.
Joannes Calleri, Proton. Apost.
In Can. Ap. Tab. Vol. CXXXI N. 71

Expedita die XIX Maii, anno Pontif. VI
Marius Orsini Plumbator

Most Rev. Antonio Nepomuceno, O.M.I., D.D.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI

dilecto Filio ANTONINO NEPOMUCENO, adhuc curioni parociae Ecclesiae praelatitiae Cotabatensis, electo Episcopo titulo Castellano Tingitii eidemque renuntiato Auxiliari Praelati Cotabatensis, salutem et apostolicam benedictionem. Aequum sane est, quotiescumque sacri Pastores ob multiplicatos pastoralis ministerii labores atque sollicitudines congruo egeant auxilio, eosdem sollertibus instruere sociis, quibuscum aptius populi respondeant necessitatibus, caritatis opera prospicient, sanctaeque Ecclesiae easdem foveant fecunditatem. Qua de re, cum venerabilis Frater Gerardus Mongeau, Episcopus titulo Dianensis et Praelatus Cotabatensis, adiutore viro opus habeat, Te, dilecte fili, illi iungere censuimus, certa spe ducti Te, qui eximis animi ingenique dotibus Nobis commendaris, Nostram esse expectationem uberrime expleturum. De sententia ideo venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt, deque suprema Nostra potestate, Te simul nominamus Auxiliarem Praelati Cotabatensis quem diximus, simul Episcopum elegimus Sedis titulo *Castellanae Tingitii*, quae vacans facta est post lacrimabilem exitum Augustini Rodriguez bo. me. Habebis igitur sive iura et honores, sive onera et obligationes, quae ab episcopali dignitati atque ab Auxiliaris munere proficiscuntur. Volentes

autem commoditati tuae servire, facultatem facimus posse Te extra Urbem Episcopum consecrari, a quolibet catholico Praesule, cui duo assint consecratores eiusdem dignitatis viri, omnesque sint Nobiscum fidei vinculis coniuncti. Quod tamen non ante fiat, quam sive fidei professionem fecisti sive ius iurandum fidelitatis erga Nos et Successores Nostros dedisti, teste quolibet Praesule et ipso hanc Petri cathedram sincere colente, iuxta statutas formulas quas de more signatas sigilloque impressas ad S. Congregationem pro Episcopis cito mittes. Pro Te denique, dilecte Fili, a summo Deo praesentissimum imploramus opem, qua nisus satis officio facias atque amplissimam meritorum messem colligas. Datum Romae apud S. Petrum, die decimo primo mensis iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri septimo. — J. T. —

Aloisius Card. Traglia
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Joannes Calleri, Proton. Apost.
Gaspar Canvagalli, Proton. Apost.
In Canc. Ap. tab. vol. CXXXII N. 72

Expedita die XXII
Aug. A. Pontif. VII
M. Orsini Plumbator

Most Rev. Alfredo A. Obviar, D.D.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

venerabili Fratri ALFREDO OBVIAR ET ARANDA, haetenus Episcopo titulo Linoënsi atque Administratori Apostolico Lucenensis, electo eiusdem Ecclesiae Episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Admirabilem Apostolorum vitam considerantes, ac quot quantaque egregia facinora viri illi gesserint, ut Christi religione hominum pectora imbuerent, et Ipsi, qui in beatissimi Petri locum munere Dei successimus, populum christianum gubernaturi, non modo Christi gregem studiosissime regere adnitimur, verum etiam singulas semper Ecclesias talibus credi pastoribus curamus, qui virtute sua, integritate, prudentia, consilio regant. Quam ob rem, constitutae dioecesi Lucenensi per apostolicas Litteras "Quo aeternae," die duo detricesimo mensis martii, anno millesimo nongentesimo quingagesimo, cum iam oporteret Antistitem suum dare, qui proprio nomine gubernaret, bene fieri censuimus si Te, venerabilis frater, ad munus tale deligeremus, qui praeterquam quod ingenio felici praestas, etiam usu